



Veteris Testamenti de animae immortalitate doctrina explanatur.

Scriptisit **Maurus Gentinetta**. O. S. B. Griesensis.

Animae in Veteri Testamento diversa occurrunt nomina. Hebraice enim modo נִפְשׁ, modo נְשָׁמָה, modo רוּחַ, graece vero tum ψυχή, tum πνεῦμα appellatur. Quas inter voces

1. נִפְשׁ animam viventem sive in brutis, sive in homine, vel etiam ipsam vitam significat. Adhibetur ex. gr. de brutis, quibus Adam (Gen. II, 19) nomina imposuit, de vita (2. Reg. VII, 7), de anima humana sitiante ad Deum (Ps. XLII, 3).

2. נְשָׁמָה tum de anhelitu iram exprimente (Ps. XVIII, 16), tum de anima, sive corpus informante (Job. XXVII, 3), sive Deum benedicente (Ps. CL. in conclusione) dicitur, vix unquam tamen de brutis.¹⁾

3. רוּחַ proxime designat flatum, ac proinde adhibetur de vento (Gen. III, 8), pariter autem de anima brutorum (Eccle. III, 21), de spiritu humano (Ps. LI, 12, 14), nec non de ipso spiritu Dei (Gen. I, 2, Num. XXVII, 18, Ps. CXXXIX, 7).

4. Ψυχή, a V spu, sphu, correspondet hebraico נִפְשׁ.

5. Πνεῦμα vero magis adaequatur hebraico רוּחַ.

Quod sensum harum locutionum attinet,

a) ex eo, quod נִפְשׁ et רוּחַ tum de brutis, tum de homine usurpantur, nequaquam inferri potest, S. Scripturam animam rationalem minus accurate ab irrationali distinguere. In lingua

¹⁾ Cf. Beck: „Biblische Seelenlehre“, pag. 9.

enim Germanica quoque tum homini tum animalibus ratione carentibus anima eodem vocabulo „Seele“ adscribitur. Insuper libri Veteris Testamenti bene exprimunt discrimen inter animam humanam et brutorum; soli enim homini tribuunt spiritum intelligentem (כִּינָה — Job XXXVIII, 4) et prudentem (רוּחַ הַבְּחִינָה — Exod. XXVIII, 3).

b) Neque ex locutionum diversitate concludere licet, Vetus Testamentum favere sic dicto Trichotomismo. Omnia enim animae nomina promiscue adhibentur, et tum Ecclesiastes (XII, 7), tum Sapientia (II, 3) nonnisi duo hominis constitutiva, animam scilicet et corpus cognoscunt.¹⁾

His de doctrina Veteris Testamenti circa animam breviter praemissis, aggredi possumus quaestionem nobis propositam, quid videlicet Vetus Testamentum de animae immortalitate sentiat? Totam materiam tribus capitibus absolvere aequum videtur, ita, ut primo capite demonstremus, quod Vetus Testamentum animae immortalitatem doceat, secundo, quid de immortalitate doceat, tertio, quo modo haec doctrina se habeat ad opiniones gentilium.

Caput I,

quo demonstratur, persuasionem de immortalitate animae libris Veteris Testamenti vere inesse.

Antiqui foederis scripturae, relate ad nostram materiam, non omnes eodem modo se habent.

1. In dubium enim vocari nequit, immortalitatem animae, omni quae desiderari potest claritate, enuntiari in libris recentioribus. In his enim testimoniorum infinitus est thesaurus, e quo, multis aliis locis ad secundum caput relictis, pauca tantum hic afferre liceat. Sic

a) legimus Sapient. cap. II, v. 22, 23, de incredulis justo insidiantibus: „Οὐκ ἔγνωσαν μυστήρια Θεοῦ, οὐδὲ μισθὸν ἠλπισαν

¹⁾ Opinio cli. Oehler („Veteris Testamenti sententia de rebus post mortem futuris illustrata.“ Stuttgartiae, 1846), qui רוּחַ intelligit de anima a corpore sejuncta, שְׁנֵפֶף vero de vita, quam anima habet vel habuerat in corpore, non quidem Trichotomismi nota inuri potest, attamen satis artificiosa nec non confusa videtur.

ὁσιότητος . . . ὅτι ὁ Θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσία καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν,“ uqi in „ἀφθαρσία“ hominis cum Deo similitudo ponitur. Idem auctor Sapientiae cap. III, 1—5: „Δικαίῳ“ inquit „ψυχαι ἐν χειρὶ Θεοῦ, καὶ οὐ μὴ ἄψηται αὐτῶν βάσανος.“ Ἐδοξαν ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων τεθνάναι, καὶ ἐλογίσθη κάκωσις ἢ ἐξοδὸς αὐτῶν. Καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα· οἱ δὲ εἰσιν ἐν εἰρήνῃ. Καὶ γὰρ ἐν ὄψει ἀνθρώπων ἐὰν κολασθῶσιν, ἢ ἐλπίς αὐτῶν ἀθανασίας πλήρης. Καὶ ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, ὅτι ὁ Θεὸς ἐπέειρασεν αὐτοὺς καὶ εὗρεν αὐτοὺς ἀξίους ἑαυτοῦ.“ Et cap. IV, 13—16: „Τελειωθείς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνους μακροὺς. Ἄρεσθῆ γὰρ ἦν κυρίῳ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ· διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας. Οἱ δὲ λαοὶ ἰδόντες καὶ μὴ νοήσαντες, μηδὲ θέντες ἐπὶ διανοίᾳ τὸ τοιοῦτο, ὅτι χάρις καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ. Κατακρινεῖ δὲ δίκαιος καμῶν τοὺς ζῶντας ἀσεβεῖς, καὶ νεότης τελεσθεῖσα ταχέως πολυετὲς γῆρας ἀδίκου.“

b) Concordat omnino liber 2. Macc., qui cap. VI. Eleazari historiam narrans, v. 26, haec sancti senis verba commemorat: „Εἰ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐξελοῦμαι τὴν ἐξ ἀνθρώπων τιμωρίαν, ἀλλὰ τὰς τοῦ Παντοκράτορος χεῖρας οὔτε ζῶν οὔτε ἀποθανῶν ἐκφεύξομαι.“ Quod dictum, licet jam per se immortalitatis fidem satis exprimat, majorem adhuc vim accipiet, si comparetur cum iis, quae capite VII. de martyrio septem juvenum habentur. Ejusdem libri capite XV, vv. 11—15 visio describitur, qua Jeremias propheta Judae Maccabaeo apparuit, unde discimus, prophetam diu vita functum uti protectorem et intercessorem populo suo adhuc adfuisse. V, 13: „Εἶθ' οὕτως ἐπιφανῆσαι ἄνδρα πολιᾶ καὶ δόξῃ διαφέροντα, θαυμαστὴν δὲ τινα καὶ μεγαλοπρεπεστάτην εἶναι τὴν περὶ αὐτὸν ὑπεροχὴν.“ V, 14: „Ἀποκριθέντα δὲ τὸν Ὀνίαν εἶπε· Ὁ φίλος ἀδελφός οὗτός ἐστιν, ὁ πολλὰ προσευχόμενος περὶ τοῦ λαοῦ καὶ τῆς ἀγίας πόλεως, Ἰερემίας ὁ τοῦ Θεοῦ προφήτης.“

c) His documentis adnumerare quoque possumus 2. Reg, cap. XXII, 20 et eadem verba 2. Paralip. XXXIV, 28:

לְכֹהֵן הַיְיָ אֱסָפָה עַל־אֲבֹתָיִךְ וְנִסְפָּסָה לְקַבְּרֹתָיִךְ בְּשָׂלֹם

Cujus phrasis sensus infra, ubi de Pentateucho agemus, exacte exponendus erit.

d) Eandem denique immortalitatis fidem testatur Tobias cap. III, v. 6. Omnipotentem alloquendo: „Ἐπίταξον ἀναλαβεῖν τὸ πνεῦμά μου, ὅπως ἀπολυθῶ καὶ γένομαι γῆ . . . Ἐπίταξον ἀπολυθῆναι με τῆς ἀνάγκης ἧδὴ εἰς τὸν αἰῶνιον τόπον. μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σου ἀπ' ἐμοῦ.“ Pulchre enim hoc loco mortalitas corporis, quod revertitur in terram, et immortalitas animae, quae elevatur ad „αἰῶνιον τόπον“, sibi invicem opponuntur. Similis sententia in versione vulg. libri Tobiae cap. II, 18 occurrit: „Fili sanctorum sumus et vitam illam exspectamus, quam daturus est Deus illis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.“

2. Ne autem quis dicat, persuasionem de animae immortalitate posteriori tantum tempore, sub influxu forte Assyriorum aut Persarum, apud Hebraeos invaluisse, etiam e libris exilio antiquioribus testimonia afferre necesse est.

a) Talia nobis in promptu sunt Ps. XVI, 10; IL, 16; LV, 16, de quibus tamen infra capite secundo sermonem instituemus.

b) In libro Iudicum II, 10 phrasim supra citata iterum occurrit:

וְגַם כָּל־הַדּוֹר הַהוּא נִאֶסְפוּ אֶל־אֲבוֹתָיו :

c) E libro Proverbiorum huc pertinet cap. XIV, 32:

בְּרַעַתוֹ יִדְחָה רָשָׁע וְחָסֵה בְּמוֹתוֹ צַדִּיק :

Effatum, quod non de mera bonae conscientiae tranquillitate explicari potest, si comparamus cap. XV, 24:

אֵרַח חַיִּים לְמַעַלָּה לְמִשְׁכֵּבִיל לְמַעַן סוֹר מִשְׂאוֹל מִטָּה :

d) Fusa est narratio de muliere pythonissa 1. Sam, XXVIII, 7—25. Haec sola narratio, si non suppeterent alia documenta, sufficeret ad comprobandum, Hebraeos jam ante exilium de immortalitate animae fuisse certos, ipsamque S. Scripturam eodem aevo hanc fidem expressisse et confirmasse. Saulem enim in Endor non cum simulacro quodam, magica arte confecto, sed cum vera Samuelis anima collocutum esse, ostendunt:

α) ipse textus, versibus praecipue 11 et 13:

וַתֵּרָא הָאִשָּׁה אֶת־שְׂמוּאֵל וַתִּזְעַק בְּקוֹל גָּדוֹל

cui rex:

אֶל־תִּירָאֵי כִי מָה רָאִית

respondens vero mulier:

אֱלֹהִים רָאִיתִי עֲלִים מִן־הָאָרֶץ:

Quae alium sensum habere nequeunt, nisi hunc, independenter ab actione mulieris et praeter ejus expectationem divina virtute spiritum Samuelis fuisse adductum.¹⁾

β) Ecclesiasticus cap. XLVI, 23 de Samuele dicens: „Καὶ μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προσεφίητευσε καὶ ὑπέδειξε βασιλεῖ τὴν τελευταίην αὐτοῦ καὶ ἀνύψωσεν ἐκ γῆς τὴν φωνὴν αὐτοῦ“ etc.

ε) Objici quidem possent verba Ecclesiasticis III, 19. 20, et praepremis 21., ubi interrogat:

מִי יִדְעֵ רִיחַ בְּנֵי הָאָדָם הָעֹלָה הִיא לְמַעַלְלָהּ וְרִיחַ הַבְּהֵמָה
הַיֵּרֶדֶת הִיא לְמַטָּה לְאָרֶץ:

De his tamen bene advertit Reusch:²⁾ „Der Prediger behandelt seinen Gegenstand in der Form einer Untersuchung oder eines Selbstgespräches. Aus dieser Form und theilweise aus der Beschaffenheit des Gegenstandes erklärt es sich, dass als Glieder der fortschreitenden Untersuchung auch falsche und halb wahre Ansichten und Anschauungen vorgetragen werden, zu welchen die Betrachtung der irdischen Verhältnisse den natürlichen Menschen veranlassen könnte, welche aber im weiteren Verlauf der Untersuchung ihre Berichtigung erhalten. Aus dem Zusammenhange gerissen und einseitig aufgefasst, würden manche Sätze ganz unrichtig sein; seine wahre Meinung spricht der Prediger erst am Schlusse, dort aber deutlich genug aus.“ Adeo

1) Conf. Allioli ad hunc locum, vel: Zschokke: „Die biblischen Frauen des alten Testaments, pag. 229, nec non Calmet: „Dissertatio de Samuele per visum Sauli objecto.“

2) „Lehrbuch der Einleitung ins Alte Testament.“ Edit. 2. pag. 66.

vera sunt, quae Reusch de fine hujus libri asserit, ut in ultimo ejusdem capite praeclarum imo testimonium immortalitatis inveniatur v. 7:

וַיָּשָׁב הָעֶפְרַיִם עַל-הָאָרֶץ כְּשֶׁהָיָה וְהָרִיחַ תָּשׁוּב אֶל-הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר

נִתְּנָה :

f) Validissimum argumentum, quo immortalitatem animae tunc temporis penes Israelitas creditam fuisse ostenditur, praebent mortuorum resuscitationes, quarum tres in libris regum narrantur.

α) Prima facta est Sareptae per Eliam prophetam, qui filium viduae benefactricis suae in vitam revocavit. De qua legimus 1. Reg. XVII, 17 sqq., Eliam, defunctum puerum in cubile portantem, a Deo petiisse:

יְהוָה אֱלֹהֵי תְּשֻׁבָנָא נָפֶשׁ תִּילָד הַזֶּה עַל-קִרְבּוֹ :

et porro v. 22:

וַיִּשְׁמַע יְהוָה בְּקוֹל אֱלִיָּהוּ וַתָּשָׁב נֶפֶשׁ-תִּילָד עַל-קִרְבּוֹ וַיְחִי :

Ubi non absque momento in utroque versu adhibetur verbum שׁוּב, quia anima non posset „reverti“, nisi post mortem integra in se extitisset.

β) Secundum resuscitationis exemplum habemus 2. Reg. IV, v. 32—37, ubi Elisaeus mulieri Sunamitidi filium, quem Giezi mortuum invenit, sanum restituit. Haec enim historia ut advertit Zschokke ¹⁾, non est mera repetitio alterius, quae de Elia narratur, sed ab illa in pluribus discrepat.

γ) Tertiam mortui resuscitationem tradit 2. Reg. cap. XIII, v. 21:

וַיְחִי הֵם קְבָרִים אִישׁ וְהָגָה רָאוּ אֶת-הַגְּדוּד וַיִּשְׁלִיכוּ אֶת-הָאִישׁ

בְּקִבְרֵי אֱלִישָׁע וַיִּלָּךְ וַיַּגַּע הָאִישׁ בְּעַצְמוֹת אֱלִישָׁע וַיְחִי וַיָּקָם עַל-רַגְלָיו :

Has enarrationes, licet in libris regum contineantur, nihilo minus hic, ubi de testimoniis exilio antiquioribus agitur, addu-

¹⁾ „Die biblischen Frauen des Alten Testamentes.“ 1882, pag. 282 sqq.

cendas esse putavimus, quia absque dubio e fontibus vetustis, annalibus scilicet contemporaneis, in libros regum postea conscriptos pervenerunt.

3. Celebris est quaestio de Pentateucho, an scilicet in libris Mosis dogma de immortalitate animae contineatur, nec ne?

Dubium enim jam tempore Jesu Christi movent Sadducaeii, qui, Pentateuchum quidem ut volumen sacrum amplectentes, nihilominus animae immortalitatem se negare posse autumabant ideoque doctrinam illam in Pentateucho non invenisse videntur. Primis quoque ecclesiae saeculis Manichaei et Marcionistae arguebant Mosen de silentio, quo ipse retributionem in altera vita futuram transmitteret. Quorum haeticorum aliquem Augustinus ¹⁾ allegat dicentem: „Moses omnem spem futurae resurrectionis in hominibus extinxit, qui mortalem esse animam pronuntiavit, qui eam esse sanguinem dixit.“ Sententia nimirum, de qua Marcionista sacrum scriptorem arguit, invenitur Levitici cap. XVII, v. 14: נֶפֶשׁ כָּל־בְּשָׂר דָּמוֹ ubi נֶפֶשׁ non animam, sed vitam significat, quae in sanguine esse eatenus dici potest, quatenus exhausto sanguine et ipsa in quocunque animali extinguitur. ²⁾ Recentiori denique aetate scriptores Angli, uti Thomas Morgan et Warburton, ³⁾ nec non Galli, uti Voltaire, eandem contra Mosen accusationem instauraverunt, quos secutus Kant mentem suam ita exprimit: „Da ohne Glauben an ein künftiges Leben gar keine Religion gedacht werden kann, so enthält das Judenthum, als ein solches in seiner Reinigkeit genommen, gar keinen Religionsglauben.“ ⁴⁾

Contra hos tamen jure tenemus, etiam in Pentateucho immortalitatem animae, licet non disertis verbis, multipliciter indicari et doceri.

¹⁾ „Contra adversarium legis et Prophetarum.“ II. 6. Edit. Maurin. tom. VIII, pag. 420.

²⁾ Conf. Kenrick: „Theol. dogm.“ Mechlin. 1858. Vol. I, pag. 40 et Cornelium a Lapide: „Com. in Pentat.“ Antwerp. 1623, pag. 736.

³⁾ „The divine legation of Moses demonstrated on the principles of a religious Deist, from the omission of a future state of rewards and punishments in the Jewish dispensation.“ 1738—1741.

⁴⁾ Kant: „Religion innerhalb der Grenzen der bl. Vernunft.“ 1793, pag. 178.

Praeprimis animadvertere juvat, adversariorum sententiam esse omnino absonam et mirabilem. Quomodo enim quis explicabit, domum Jacob et progeniem ejus nihil scivisse de immortalitate, cum pater eorum Abraham e Mesopotamia oriundus sit, ubi immortalitatis fidem apud omnes viguisse ex inscriptionibus cuneatis constat? Quomodo praeterea Mosen, virum „omni sapientia Aegyptiorum eruditum“ (Act. VII, 22), haec veritas latere potuisset, quae apud Aegyptios fuit omnium dogmatum corona morumque norma? Quod sane ne adversarii quidem contendere audent. A priori igitur verisimile est, Mosi quoque et populo ejus solemnem fuisse immortalitatis fidem. Hujus vero persuasionis vestigia, quae in Pentateucho inveniuntur, nunc exponenda suscipimus.

a) Genes. I, 26, Deus dicit:

נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כְּדְמוּתֵנוּ

et II, 7, hominem format ex limo terrae, inspirando in faciem ejus נְשָׂמַת הַיָּיִם. In quo ergo haec דְּמוּת hominis cum Deo sita est, cum Deus sit spiritus absque corpore, nisi in נְשָׂמָה, et quomodo in hac, nisi anima hominis intellectu et immortalitate differret ab anima brutorum? ¹⁾ Est quidem haec adumbratio sat obscura, bene tamen advertit Scholz, clariora hic expectari non posse, quia Moses, praecipue in primo libro, „mit wahrhaft kindlichem Sinne nur berichtet, was das Auge sieht, was das Ohr hört.“ ²⁾

b) Majoris momenti est usus frequentissimus vocabuli שְׂאוֹל, quod receptaculum mortuorum designat a sepulcro diversum.

α) Si enim Genes. XXXVII, 35, Jacob Patriarcha dicit:

בֵּי-אֶרֶץ אֱלֹ-בְנֵי אָבִל שְׂאוֹלָה

¹⁾ Conf. Gregor. de Valentia in „Comment. Theol.“ Ingolstadt. Sartorius. 1592. tom. I, pag. 1282 et 1283. „Hanc similitudinem et rationem imaginis Patres intelligunt secundum naturam animae, non autem secundum figuram et lineamenta corporis, quippe quo Deus caret. Naturae autem similitudo non est sine convenientia quadam in naturae gradu. Atqui Deus natura sua intellectualis et immortalis est. Igitur etiam homo secundum animam. Quod argumentum recte D. Gregorius Nyssenus urget in disputatione de anima et resurrectione cum sorore Macrina.“

²⁾ Scholz: „Die Keilschrift-Urkunden und die Genesis“, pag. 81.

hoc de comuni in tumulo sepultura intelligi nequit, quia Jacob filium suum non sepultum sed a fera pessima devoratum esse existimat; alterius ergo vitae cum filio consuetudinem sperabat pater.

β) Pariter si Deuteron. XXXII, 22, legimus:

בִּי־אֵשׁ קָדְחָהּ בְּאִפִּי וּבִמְקַדְדֵּי עַד־שְׂאוֹל תִּהְיֶינָהּ:

neque hic, ut monet Haneberg, ¹⁾ שְׂאוֹל de sepulcris interpretari potest.

γ) Imo non in aliquibus locis tantum, sed semper, ut ait Pott, ²⁾ שְׂאוֹל donotat aliquid a sepulcro diversum, quod magis convenit cum graeco ἄδης, animarum scilicet et non cadaverum post mortem habitaculum. ³⁾ Neque Gesenius ad vocem שְׂאוֹל ullam mentionem sepulcri facit, sed unicam „Orci“ significationem vocabulo tribuit. ⁴⁾

c) Phrasis, quam supra jam aliquoties alligavimus:

נִצְּמַם אֶל־אֲבוֹתָיו

pariter non intelligenda est de corporis sepultura, ac si receptionem in communem alicujus familiae tumulum denotaret, sed de animae in praedecessorum numerum cooptatione, quae supponit immortalitatem. Hic sensus de aliquibus saltem locis accurate explicari potest, unde et in aliis locis admitti debet.

α) Genes. XXV, 8, de Abraham dicitur:

וַיִּצְמַם אֶל־עַמּוּיוֹ:

Jam vero Abraham, egressus ex Ur Chaldaeorum et ex Haran, longe ab omni cognatione sua sepultus est in antro Makphela prope Hebron, ubi Sara tantum, uxor ejus, antea humata fuerat. Nullo igitur jure dici potest „sepultus“ apud gentem suam, sed „congregatus“ tantum ad suos, scilicet in altera vita.

1) „Die religiösen Alterthümer der Bibel“, pag. 126.

2) In „Comment. ad epp. Cathol.“ Gotting. 1810, pag. 317.

3) Conf. etiam Benedicti Pererii: „Comm. in Genesis.“ Moguntiae 1612 Disputat. 8. in cap. XXXVII, pag. 918 sqq.

4) Lexic. edit. 3. Lipsiae 1828.

β) Idem valet de morte Mosis et Aaron, fratris ejus, de qua loquitur Dominus Deuteronomii cap. XXXII, v. 50.

d) Pluries in lege Mosaica occurrunt execrationes necromantiae, quibus mortuorum excitationes prohibentur. Quae quidem hac de re Levitici XIX, 31, et XX, 6. 27, leguntur, dubios nos relinquere possent, an de artibus daemonum ope exercendis, an de animabus defunctorum citandis sermo sit. Hoc vero dubium tollit Deuteron. XVIII, 11, ubi expresse dicitur:

(לֹא יִמְצֵא כֹהֵן דֹרֵשׁ אֶל-הַמֵּתִים :

Unde colligitur, populum tempore Mosis de immortalitate persuasum fuisse, neque Mosen, licet abusibus resistantem, hanc fidem exprobrasse.

e) Insuper Jacob, qui jam Genes. XXXVII, 35, spem adumbrat, filium quem mortuum putat, iterum videndi, ipse postea morti proximus, magna fiducia gloriatur, se exspectare salutem a Deo parandam: Genes. XLIX, 18:

לִישׁוּעָתְךָ קִיִּיתִי יְהוָה

Sed quomodo senex moribundus salutem Dei exspectaret, nisi de altera vita post obitum sibi futura certus esset?

f) Quot generatim promissiones Messiae in Pentateucho leguntur, tot sunt testimonia immortalitatis. Quid enim solatii Messiae adventus iis afferre posset, quorum tunc temporis ne animae quidem superessent?

g) E Pentateucho denique depromptum est argumentum, quo ipse Christus Dominus Sadducaeos immortalitatem negantes impugnat, alludens ad Exod. III, 15, et similia verba, nec non ad Deuteron. V, 23. Math. XXII, 31: „Περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, οὐκ ἀνέγνωτε τὸ ρηθὲν ὑμῖν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λέγοντος·

32. Ἐγὼ εἶμι ὁ Θεὸς Ἀβραάμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ καὶ ὁ Θεὸς Ἰακώβ; οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων“ — ergo, concludit divinus Redemptor, Abraham, Isaak et Jacob adhuc vivunt.¹⁾

¹⁾ Auctor dissertationis: „Die Unsterblichkeitslehre des Alten Testaments“ in annal. cathol. „Der Katholik“, ann. 1877, tom. II, et Liebermann

His omnibus perpensis apparet, doctrinam de immortalitate in Pentateucho non quidem explicite proponi, attamen implicite in quavis fere pagina supponi, ita ut multae Mosis elocutiones — dempta immortalitatis fide — explicari penitus nequeant.

Interrogare tamen aliquis potest, cur in Pentateucho expressa immortalitatis mentio non fiat, et quare Moses in lege retributionem aeternam claris verbis non proposuerit?

Respondemus:

α) propter rationes paedagogicas, et quidem

αα) ne salutaris mortis horror minuatur;

αβ) ut fideles, de rebus tanti momenti non sane ignari, attamen neque omnino certi, eo vehementius desiderent lumen ulterioris revelationis et magistrum coelitus mittendum;

αγ) quia praesentia Dei, in hac vita benedictis et punientis, populum carnalem melius compescuit, quam exspectatio mercedis vel supplicii post obitum futuri.

β) Propter specialem indolem theocratiae, quam in eo consistere oportuit, ut Deus Israelitis tamquam rex terrenus exhiberetur, dum potestatem suam in reliquas gentes in altera potius vita exercet.

γ) Propter periculum cultus defunctorum, qui juxta Sapientiae XIV, 15—20, praecipuus, licet non unicus idololatriae fons fuit; quare verisimiliter et Levitici XIX, 28, prohibetur luctus mortuorum.

(„Instit. Theol.“ tom. I, pag. 157) non absque ratione ut testimonium immortalitatis exhibent verba Balaam Num. XXIII, 10, dicentis: „Moriatur anima mea morte justorum et fiant novissima mea horum similia.“ Oehler tamen („V. T. sententia de rebus post mortem futuris.“ Stuttg. 1846, pag. 40) hanc interpretationem prorsus rejicit. — Ex historia celeberrima de Henoch (Genes. v. 24) et simili de Elia (2. Reg. II, 11) nihil stricte concludi fas est circa materiam nostram, quia Henoch et Elias nequaquam ut exempla, sed ut typi tantum immortalitatis animae admitti possunt, quippe qui neque corporis mortem experti sunt. De hoc uno, ut optime monet Oehler (l. c. pag. 39), ex eorum historia edocemur, „hominem, qui pie vitae tempus transegerit, etiam nunc singulari Dei beneficio posse non mori. Hanc igitur fortasse spem excitare poterant, non in sempiternum mortem in homines dominaturam, sed futurum esse tempus, quo homines in pristinum immortalitatis statum, ex quo ceciderunt, restituantur.“

Caput II.,

quo inquiritur, quid libri Veteris Testamenti de animae post mortem conditione doceant.

Quamquam in praecedenti capite nos probasse speremus, doctrinam de immortalitate animae libris antiqui foederis vere inesse, nihilominus fateri debemus, sicut alia dogmata, ita et hoc non eadem semper perspicuitate Hebraeis innotuisse, sed ejus notitiam temporis successu evasisse clariorem.

Hoc praecipue valet de ideis, quas sibi de animae post mortem conditione Judaei efformaverunt sacrorum scriptorum suorum doctrinae inhaerentes.

1. Libri vetustiores sat obscure de שְׂאוֹל loquuntur. Exhibent hunc locum:

a) ut situm in profundo terrae, quod patet ex Num. XVI, 33, ubi de Dathan et Abiron dicitur:

וַיִּרְדּוּ הֵם חַיִּים שְׂאוֹלָה וְתַבַּם עֲלֵיהֶם הָאָרֶץ:

ut caliginosum et tristem, qualis describitur in libro Job X, 21, 22:

אָרֶץ חֹשֶׁךְ וְצִלְמוֹת

potestati tamen Dei subjectum, juxta ejusdem libri XXVI, 6:

עָרוֹם שְׂאוֹל נִגְדּוֹ:

b) In שְׂאוֹל non tantum Judaei inveniuntur, sed mortui ex omni populo, qui tamen quodammodo juxta gentes et tribus suas sociantur et ab alienigenis separantur. Constat ex Ezech. XXXII, 21—26:

etc. שָׁם (שְׂאוֹל) אֲשׁוּר וְכָל־קְהָלָהּ

שָׁם עֵילָם וְכָל־הַמוֹנָה

שָׁם מְשֻׁךְ תַּבְּל וְכָל־הַמוֹנָה:

c) Quod attinet mortuorum ibi conditionem, sunt quidem tristes ac debiles, ¹⁾ ast non reputari debent pro meris spectris

1) Unde nomen רָפְאִים a רָפָה = fessus est.

qualia ab Homero in Orco collocantur, sed optimae mentis conscientia fruuntur, ita ut

α) excitentur ad admirationem, juxta Is. XIV, 9, ubi, regi Babylonis dicitur:

שָׂאוּל מִפֶּתַח רְגֵזוֹ, לֵךְ לְקַבְּלוֹת בּוֹאֵךְ עוֹרֵר לֵךְ רְפָאִים
בְּלִעְתֵיךְ אֶרֶק הַקִּים מִבְּסֹאוֹתָם:

β) Noscant fata viventium in terra, quod patet ex historia Samuelis defuncti 1. Sam. XXVIII, 15 sqq.

γ) Loquantur, sicut pro exemplo in Isaiae capite supra citato v. 10.

Haec quidem impugnari possent ex Ps. VI, 6:

כִּי אֵין בְּמִוֹת זְבָרָה בְּשׂוֹל מִי יוֹדֶה לָךְ:

et Ps. CXV, 17:

לֹא הַמְתִּים יְהִלְלוּיָהּ וְלֹא כָל־יְרֵדֵי דוֹמָה:

nec non e modo, quo Ecclesiastes cap. IX, 5, 6, 10, loquitur de mortuis.

Attamen quoad praedictos psalmos advertit Allioli in translatione Germanica: „Die Hölle, wo alle Abgeschiedenen sich versammelten, ehe Christus sein Werk vollbracht hatte, war zwar für die Bösen als eigentliche Hölle ein Ort des Seufzens; aber doch auch für die Guten als Vorhölle kein Ort der Freude, sondern des schweigenden Trauerns und insofern kein Ort des Bekenntnisses und Lobes Gottes, wie die Erde noch ist.“ Et de doctrina Ecclesiasticis praeclare observat Bickell: „An Stellen, wie IX, 5—6, 10, könnte man sogar ein Aufhören des Bewusstseins vorausgesetzt finden; doch sollen sie wohl nur den Abstand dieses Schattendaseins gegen das thatkräftige Erdenleben recht scharf ausdrücken. Diese Vorstellung vom Scheol gleicht einem unausgefüllten Rahmen, welcher einstweilen wenigstens die Vernichtung der Seele ausschliesst und für jeden künftigen Fortschritt der eschatologischen Erkenntniss freien Raum vorbehält. In den Offenbarungsurkunden war sie zulässig, da ihr positiver Gehalt, die ungünstigere Situation der Verstorbenen gegenüber den

Lebenden, vor dem Erlösungswerke Christi dem wirklichen Sachverhalte entsprach und ihre unleugbare Unvollständigkeit ebensowenig befremden kann, als derselbe Mangel in der alttestamentlichen Fassung so mancher anderen Glaubenswahrheiten.“¹⁾

2. Est quidem שְׂאוֹל receptaculum commune tum justorum, tum impiorum, nequaquam autem amborum sors eadem habetur.

a) Injusti enim poenis gravissimis afficiuntur²⁾, uti videre licet ex Ps. LV, 16 et 24, et praecipue IL, 15:

בְּצֵאן לְשְׂאוֹל שְׂתוֹ מֹות יָרְעִים וַיִּרְדּוּ בָם יִשְׂרָיִם לְבַקֵּר וְצִיֹּרִם
לְבִלּוֹת שְׂאוֹל מִזְבֵּל לוֹ :

Neque eis lucet spes liberationis; sic enim scribit Isaias LXVI, 24:

וַיִּצְאוּ וַרְאוּ בְּפִגְרֵי הָאֲנָשִׁים הַפְּשָׁעִים בִּי בִי תוֹלְעֵתָם לֹא תָמוֹת
וְאִשָּׁם לֹא תִקְבָּה וְהָיוּ דְרָאוֹן לְכָל־בָּשָׂר :

Justis e contra talis spes futurae liberationis fulget, quod discimus ex. gr. e Ps. IL, 16:

אֲדָ־אֱלֹהִים יִפְדֶּה־נַפְשִׁי
מִיַּד שְׂאוֹל בִּי יִקְחֵנִי :

nec non e Ps. XVI, 10:

בִּי לֹא־תִעֲזֹב נַפְשִׁי לְשְׂאוֹל לֹא־תִמָּן חֲסִידֶיךָ לְרְאוֹת שְׁחַת :

et ex Job XIV, 13—15, ubi legimus:

מִי יִמָּן בְּשְׂאוֹל תִּצְפַּנְנִי תִסְתִּירֵנִי עַד־שׁוּב אֶפְקֶה תְּשִׁית לִי חֹק
וְתִזְכְּרֵנִי :

et porro:

כָּל־יָמַי צָבָאִי אֶנְחַל עַד־בּוֹא חֲלִיפָתִי :

1) Bickell: „Der Prediger über den Werth des Daseins.“ 1884, p. 43, 44.

2) Non tamen omnes iisdem poenis, unde Ezech. XXXII, 23, de „infimo inferno“ sermo est. Sic Ewald „Prophet.“ tom. II, pag. 334.

Idem evincitur et ex Hoseae XIII, 14:

מִיִּד שְׂאוֹל אֶפְדִּים מִמֶּנָּה אֲנֹאֲלִם אֱהִי דְבָרֶיךָ מִנְּרִי אֱהִי קִמְבֶּךָ
שְׂאוֹל :

qui locus allegatur a Paulo 1. Corinth. XV, 55. ¹⁾

Quibus addenda sunt verba Annae, matris Samuelis prophetae, 1. Sam. II, 6:

יְהִיָּה מִמֵּית וּמִחַיָּה מוֹרִיד שְׂאוֹל וַיַּעַל :

Fatemur quidem, etiam metaphoricè haec intelligi posse, si forte Anna nihil aliud exprimere voluit, nisi Deum dolores mittere eosque ad fidelium suorum consolationem iterum auferre. Ast bene advertit Oehler, ²⁾ in libro Sapientiae hunc locum ita allegari, ut stricte ac proprie interpretari debeat, quod facile perspicuum fit, si verba Sapient. XVI, 13, citata cum versu 14. immediate sequenti comparamus. Idem fere valet de hujus sententiae allegatione in libro Tobiae XIII, 2, saltem si textum Italae inspiciamus, qui metaphoram excludit.

Justi quidem, in ipso adhuc שְׂאוֹל constituti, non proprie dictas poenas sustinent, sicut impii, sed quiete quadam fruuntur, cujus causa etiam ii, qui in hac vita graviter affliguntur, mortem concupiscunt (Job. VII, 15 et IX, 21). Propterea Patres catholici varias in שְׂאוֹל regiones distinguunt, quas justos et improbos ab invicem separatos incoluisse putant. Ita Augustinus: „Non absurde credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis sed apud inferos tamen fuisse, donec eos inde sanguis Christi et ad ea loca descensus erueret. ³⁾ Similiter Glossa ordinaria ad Genes. XXXVII, 35, animadvertit: „Credibile est, apud infernum quaedam loca secreta et minus poenalia ante passionem Domini fuisse, ad quae etiam sancti descendebant; quia nullus paradisum ingredi poterat,

¹⁾ Nonnulli provocant etiam ad Zachar. IX, 11, quae verba a Patribus de Christo ad inferos descendente interpretantur. Cum vero haec interpretatio nonnisi sensu allegorico fieri videatur, ad nos minus de ea pertinet.

²⁾ L. c. pag. 45.

³⁾ „De civitate Dei.“ L. XX, cap. 15.

donec Christus romphaeam igneam amoveret.“ Et Historia Scholastica in enarratione lib. Genesis cap. LXXXVIII: „Erat tunc in inferno quidam locus sanctorum longe remotus a locis poenalibus, qui ob quietem et separationem ab aliis sinus vocabatur, sicut dicimus sinum maris. Appellatus praeterea est sinus Abrahae, quia etiam ibi Abraham fuit in exspectatione usque ad adventum Christi.“

Quid vero animae piae, post liberationem ex inferis, exspectare possint, invenimus apud Danielelem XII, 3:

וְהַמְשָׁפִילִים יִהְיוּ בְּזֵהַר הַרְקִיעַ וּמִצְדֵי קַיִ הַרְבִּים בְּבִכּוֹבַיִם לְעוֹלָם :

ubi gloria coelestis, illaque sempiterna, promittitur. ¹⁾

b) Magnum hoc discrimen inter justorum et impiorum post mortem conditionem, ut per se patet, dependet a iudicio Dei, quod

a) jam ab Ecclesiaste XI, 9, et XII, 14, indicatur. Quae enim hic Ecclesiastes profert, ut ait Oehler, ²⁾ „nisi verba velis extenuare, ad terrestres tantum poenas, quas lex Mosaica impiis minatur, revocari nequeunt, sed ad iudicium in animas exercendum referenda videntur.“

β) Optime tamen de hoc iudicio disserit Sapientia cap. IV et V. „Ὅψονται γὰρ (scil. peccatores) τελευτῆν σοφοῦ, καὶ οὐ νοήσουσι τί ἐβουλεύσατο περὶ αὐτοῦ, καὶ εἰς τί ἠσφαλίσατο αὐτὸν ὁ Κύριος. Ὅψονται καὶ ἐξουθενήσουσιν, αὐτοὺς δὲ ὁ Κύριος ἐκγελάσεται. Καὶ ἔσονται μετὰ τοῦτο εἰς πτώμα ἄτιμον, καὶ εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς δι' αἰῶνος. Ὅτι ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς, καὶ σαλεύσει αὐτοὺς ἐκ θεμελίων, καὶ ἕως ἐσχάτου χερσωθήσονται, καὶ ἔσονται ἐν οὐδύνη, καὶ ἡ μνήμη

¹⁾ Nihil tamen quoad justorum post mortem felicitatem concludere licet ex 1. Sam. XXV, 29, quo e loco Calmet deducere conatur piorum defunctorum gloriam malorumque poenas. Abigail enim hic non loquitur de morte David, sed e contra de ejus vitae conservatione, quod patet ex v. 30, neque sub „fasciculo viventium“ intelligit beatos in altera vita, sed viventes in hoc saeculo. Pariter Abigail non loquitur de morte inimicorum David, sed potius de eorum conturbatione in hac vita, quando se contra David nihil valere cognoverint. Unde etiam Cornelius a Lapide („Comm. in Josue, Judic., Ruth, Regg. et Paralipp.“ Antwerp. 1642, pag. 346) interpretationem hujus loci de rebus post mortem futuris non nisi sensu allegorico admittit.

²⁾ L. c. pag. 86.

αὐτῶν ἀπολείται. Ἐλεύσονται ἐν συλλογισμῶ ἀμαρτημάτων αὐτῶν δειλοὶ, καὶ ἐλέγξει αὐτοὺς ἐξεναντίας τὰ ἀνομήματα αὐτῶν. Τότε στήσεται ἐν παρρησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτὸν Ἐροῦσιν ἑαυτοῖς· Οὗτος ἦν, ὃν ἔσχομεν ποτε εἰς γέλωτα καὶ εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ Πῶς κατελογίσθη ἐν υἱοῖς Θεοῦ, καὶ ἐν ἀγίοις ὁ κληρὸς αὐτοῦ ἐστίν;“

c) E veritate, quam supra e sacris litteris eruimus, quod scilicet justorum e **Ἰησοῦ** futura sit liberatio, conclusionem maximi momenti deducit lib. 2. Macc. cap. XII, vv. 43—46, narrans: „Ποιησάμενός τε (nempe ὁ γενναῖος Ἰούδας) κατ' ἀνδραλογίαν κατασκευάσματα εἰς ἀργυρίου δραχμὰς δισχιλίας, ἀπέστειλεν εἰς Ἱεροσόλυμα προσαγαγεῖν περὶ ἀμαρτίας θυσίαν, πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων, ὑπὲρ ἀναστάσεως διαλογοζόμενος· εἰ γὰρ μὴ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστήναι προσεδόκα, περισσὸν ἂν ἦν καὶ λερωῶδες ὑπὲρ νεκρῶν προσεῦχεσθαι. Ἐῖτ' ἐμβλέπων, τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον — ὅσα καὶ εὐσεβῆς ἢ ἐπίνοια. Ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξίλασμον ἐποίησατο, τῆς ἀμαρτίας ἀπολυθῆναι.“

Hic igitur suadetur oratio pro mortuis, ut scilicet „a peccatis solvantur“, et ut acceleretur adventus Messiae, qui iis coeli portam aperiturus erat.

3. Denique in Veteri quoque Testamento jam docetur animae in corpus reditus aliquando exspectandus ac proinde resurrectio mortuorum.

a) Hanc enim veritatem adumbratam invenimus in celebri visione Ezechielis XXXVII, 1—14, ubi propheta a spiritu Domini ducitur „in medium campi, qui erat plenus ossibus“, mandatque accipit, ut vaticinetur ossibus istis: „Haec dicit Dominus: Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum et vivetis.“ Immediate quidem hanc enarrationem interpretatio sequitur, quae ostendit, visionem nonnisi allegorice intelligendam esse; attamen, ut bene monet Divus Hieronymus, „nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura traderetur, quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat.“

b) Alterum exemplum praebet Job XIX, 25—27:

וְאָנִי יָדַעְתִּי גִּבּוֹרֵי חַי וְאַחֲרוֹן עַל־עַפְרָיִם יְקוּם : וְאַחַר עוֹרֵי
נְקֻמַּת־זֹאת וּמִבְּשָׂרֵי אֲחִיזָה אֶל־יָם : אֲשֶׁר אָנֹכִי אֲחִיזָה־לִּי וְעֵינַי רָאוּ
וְלֹא־זָר :

ubi resurrectio, et quidem corporea, pro illius temporis possibilitate luculenter enuntiatur. ¹⁾

c) Tertium et quartum testimonium praebet Isaias,

α) cap. XXVI, 19:

יְחִי מִתִּיד נִבְלָתִי יְקוּמוּן הַקִּיצוֹ שְׂגֵי עֶפְרַיִם :

β) nec non LXVI, 14:

וְרֵאיוֹתֵם וְשֵׁשׁ לִבְנֵיכֶם וְעֲצֻמוֹתֵיכֶם בְּדֹשָׁא תִפְרַחְנָהּ וְנִוְדָעָה
יְדִי־הִנֵּה אֶת־עַבְדֵּי וְזַעַם אֶת־אֲבִיבֵי :

d) Quintum vero Daniel XII, 1, 2, describens salvationem omnium illorum, qui in libro vitae scripti sunt, et porro dicens:

וְרַבִּים מִיִּשְׂרָאֵל אֲדַמְת־עַפְרָיִם יְקִיצוּ אֵלֶּה לְחַיֵּי עוֹלָם וְאֵלֶּה לְחַרְפוֹת
לְדָרְאוֹן עוֹלָם :

Quibus e verbis, nec non ex ejusdem capituli versu 13., ut jam Theodoretus observat, intelligitur, verso 1. non de tempore Maccabaeorum, sed de fine mundi et resurrectione sermonem esse. Hoc quoque Danielis effatum omne dubium tollit, an justitantum, vel mali quoque resurrecturi sint. Tale enim dubium enasci forte posset e doctrina Pharisaeorum, qui, teste Josepho, ²⁾ arbitrabantur, „ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἀφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τῆν τῶν ἀγαθῶν μόνην“, quae tamen doctrina nullibi in Scriptura, neque in Ps. I, 5, nec in 2. Macc. VII, 14 fundatur. In Psalmo scilicet primo v. 5, „קוּם“ non significat praecise idem ac „resurgere“, sed potius „gloriosum persistere“, „honorifice

¹⁾ Conf. in annal. „Der Katholik“, ann. 1877, tom. II, dissertationem: „Die Unsterblichkeitslehre des Alten Testaments“, cujus auctor pag. 474—475, ostendit hunc locum libri Job a D. Hieronymo, licet non accurate ad verbum, sensu tamen prorsus intacto translatum esse.

²⁾ „De bello Judc.“ II, 8, 14.

sustinere“ (nempe iudicium), et 2. Macc. VII, 14 non de resurrectione generatim, sed de resurrectione ad vitam gloriosam agitur.

e) Idem caput VII, libri 2. Macc., quod modo allegavimus, excellentissima forte totius antiqui foederis resurrectionis testimonia continet, quae non a sapientibus et prudentibus, sed ab hominibus e communi plebe proferuntur ideoque totius populi Judaici fidem tunc temporis existentem illustrant. Secundus enim e septem fratribus, ad mortem usque cruciatus, protestatur: „Σὺ μὲν, ἀλάστωρ, ἐκ τοῦ παρόντος ἡμᾶς ζῆν ἀπολύεις, ὁ δὲ τοῦ κόσμου βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει.“ Similiter quartus, dicens: „Αἰρετὸν μεταλλάσσειντα ὑπ’ ἀνθρώπων τὰς ὑπὸ τοῦ θεοῦ προσδοκᾶν ἐλπίδας, πάλιν ἀναστήσεσθαι ὑπ’ αὐτοῦ.“ Praecipue vero sancta et fortissima mater, filios exhortans: „Ὁ τοῦ κόσμου κτίστης, ὁ πλάσας ἀνθρώπου γένησιν . . . καὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν πάλιν ἀποδώσει μετ’ ἐλέους.“ — Huc quoque pertinent verba Raziae semetipsum interficientis 2. Macc. XIV, v. 46.

Hanc vero, cujus testimonia audivimus, resurrectionem, quare cum Oehler ad solos Israelitas restringamus, ratio in Veteri Testamento inveniri nequit. Licet enim Danielis XII. de populo tantum electionis sermo sit, alienigenae tamen nullibi in Ss. libris a resurrectione excluduntur. Oehler quidem provocat ad Jerem. LI, 39 et 57, sed somnus perpetuus, quem hic minatur Chaldaeis, non absolute „perpetuus“ dicitur, sed in comparatione ad somnum brevem, in quem ebrietate sua incidere solebant. Perperam ergo asseritur, Vetus Testamentum solis Hebraeis resurrectionis spem praebere, quamvis libenter concedamus, disertam de aliorum resurrectione mentionem non fieri.

Caput III.,

quo Veteris Testamenti de immortalitate animae doctrina comparatur cum opinionibus gentilium.

Hoc praeprimis tenere debemus,

1. animae immortalitatem nequaquam solis Hebraeis innotuisse, sed, ut inquit Cicero ¹⁾ et Seneca ²⁾, ex omnium hominum

¹⁾ Qu. Tuscul. I, 16. „Ut deos esse natura opinamur, sic permanere animas arbitramur consensu nationum omnium.“

²⁾ Ep. 117.

consensu probari posse. „Der Glaube“ ait Scholz¹⁾ „an eine Unsterblichkeit der Seele, und zwar im Sinne einer persönlichen Fortdauer, ist so alt als das Menschengeschlecht. So wenig es je ein Volk gab, das nicht an einen Gott glaubte, so wenig hat es ein solches gegeben, das nicht an eine Unsterblichkeit geglaubt hätte: beide Ideen sind der Ausdruck des Selbstbewusstseins der Seele als unabhängigen Wesens und sind ihr sozusagen angeboren.“²⁾

a) Quare limitanda est sententia Herodoti l. II, 123, dicentis: „Πρῶτοι Αἰγύπτιοι εἰσιν οἱ εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατος ἐστὶ.“ Aegyptii enim hanc persuasionem nec primi habuerunt, nec propagaverunt, sed primi tantum sunt, quorum fidei documenta de hac materia ad nos usque pervenerunt. Hac opinione imbuti Aegyptii, teste Diodoro, in praesenti vita nonnisi peregrinos se esse existimabant, quibus longum iter post mortem peragendum immineret. Unde mortuorum quoque cultus ab ipsis ad summum apicem evehebatur.

b) Eandem immortalitatis fidem exprimunt quoque Assyrii et Babylonii, quorum insignia documenta recentissimis diebus reperta sunt. Inter haec eminent oratiuncula quaedam pro moriente:

„Anima viri gloriose decedentis
Fulgebit ac splendor auri.
Huic viro
Sol largiatur vitam,
Et Merodach, primogenitus coeli,
Beatam ei conferat mansionem.“

Similis huic orationi est prolixus hymnus pro aegroto:

1) Scholz: „Die Aegyptologie und die Bücher Mosis“, pag. 70.

2) Licet in systemate religionis a Kong-fu-tse exarato immortalitas negetur, plebs tamen Sinensis praedecessorum suorum cultu persuasionem immortalitatis innatam ostendit et conservat. (Cf. Hettinger: „Fundamental-Theologie.“ I, 400.) Imo immortalitatis persuasio fortius adhuc humanae menti impressa esse videtur, ac ipsa idea Dei. Juxta missionarios enim Trappistas („Ein Vergissmeinnicht aus Marian-Hill.“ 1885) gentes meridionalis Africae, quae nullam penitus Dei cognitionem retinuerunt, defunctorum suorum animas invocare solent.

„Viro infirmo concedite coelum, quia de terra
migraturus est.

Fortem, quondam adeo validum, dereliquit
virtus.

Justi, Deum timentis nunquam virtus revertitur.
In corporis sui habitaculo gravi adfligitur morbo.

Istar tamen, quae in domo sua curam ejus gerit,

De montibus descendit inaccessis,

Appropinquans viri aegroti ostio;

Miratur aegrotus:

Quis est, qui venit?

Istar venit, filia Dei lunae.

Deus venit, . . . filius Bel,

Merodach venit, Dei . . . filius.

Accedentes ad virum aegrotum,

Afferunt ei paropsidem e coeli thesauris,

Afferunt . . . e siderum palatio.

In paropsidem praetiosam potum infundunt
fulgidum:

Sursum ascendat justus iste!

Sicut haec paropsis ipse fulgeat,

Fulgeat sicut haec

Sicut argentum purum vestimenta ejus clarescant,

Sicut auri splendor radiet lumine!

Ascendat ad solem, deorum maximum,

Et sol, deorum maximus, accipiat ejus animam
in manus suas sanctas.“

Huc quoque pertinent ea, quae in carmine epico de Izdubar de descensu Istarae in infernum narrantur, nec non oratio antiqua pro rege, „post hujus temporis vitam in aulam coelestem, in beatorum terram“ recipiendo.¹⁾

c) Eadem immortalitatis persuasionem instructi erant Persae, Indi, nec non populi occidentales, quorum tamen singulorum testimonia afferre longum esset.

1) Cf. Kaulen: „Assyrien und Babylonien.“

2. Quod porro attinet animae post mortem conditionem, tum similitudines, tum dissimilitudines inter Vetus Testamentum et paganorum narrationes intercedunt.

a) In hoc enim conveniunt, quod

α) pagani quoque discrimen inter variorum defunctorum sortem statutum esse putabant. Alii enim post mortem puniuntur, uti discimus e Graecorum fabulis de Tantalos, de Gigantibus et Danaidibus, alii in Elysio et in insulis fortunatis recreantur. Similiter Scandinavi eos tantum, qui bellica virtute excellissent, in „Walhallam“ recipi putarunt, ceteris vero habitaculum triste et obscurum in „Helheimr“ assignant. Pariter si inquirimus sacros libros Persarum, Zarathustra interrogat,¹⁾ quale futurum sit fatum animae immacolatae, et ab Ahuramazda responsum accipit, eam e paradiso Humata in secundum paradisum Hukhta, inde in tertium paradisum Hvarsta, quarto vero gressu in lucem incircumscriptionem transgredi. Iterum interrogante Zarathustra, qualis post mortem sit sors maligni, Ahuramazda respondet, hujusmodi animam in tenebras aeternas expelli.

β) Talis autem diversitas conditionis in altera vita etiam juxta gentilium mentem pendet a judicio quodam deorum post mortem instituendo. Huic judicio apud Aegyptios praesidet Osiris, cinctus quadraginta duobus assistentibus, ut de quadraginta duobus praeveraricationum generibus decernat; apud Graecos Minos cum Rhadamante sententiam de mortuorum futura sorte profert; e Persarum vero opinione judicium habetur prope pontem Tschinevat.

γ) Denique et paganorum multi resurrectionem aliquam futuram esse tenent. Propter hanc enim Aegyptii, eam expectantes ad mundi finem, tanta diligentia defunctorum corpora conservarunt. Neque deest haec doctrina in religione Persarum; Zarathustra scilicet²⁾ interrogat: „Corpus a vento dispersum, ab aqua asportatum — unde reconstruetur?“ et edocetur ab Ahuramazda: „Egomet cum extruxerim coelum absque columnis . . . ; egomet cum posuerim terram in se portantem animalia corporea,

1) Avesta Frg. XXXVIII.

2) Bundehesch, I, 31.

dum ipsa e nemine sit suffulta; egomet cum fecerim solem lunamque et stellas egomet cum creaverim filium in utero matris cum singula quaeque per me creata sint: nonne difficilius fuit, perficere haec omnia, quam resuscitare mortuos? Audi igitur: haec, postquam non erant, facta sunt; quare ergo non iterum faciam illa, quae jam desierunt esse?*

Eadem est persuasio Babyloniorum, quorum deus Merodach post mortem ipse resurrexit hominesque mortuos resuscitat, unde et hymnis ita invocatur:

„Deus deorum,
Misericors inter deos,
Misericors, qui mortuos revocas in vitam!“¹⁾

Nihil vero de resurrectione occurrit apud Latinos et Graecos, qui, Orientalibus hac in re multo inferiores, imo Paulum de resurrectione loquentem Athenis irriserunt.²⁾

Quomodo vero istas, quas negare non licet, similitudines explicemus? Ita forte, ut Hebraicum populum suas de altera vita notiones a Persis vicinisque gentibus accepisse arbitremur? Absit! Hujusmodi enim hypthesi adversantur variae rationes:

Primo, Pentateuchum doctrinam de immortalitate indicare, jam ante probavimus. His proinde libris vetustissimis eruditi, Israelitae propria meditatione ad clariores conceptus pervenire potuerunt, quin paganorum magisterio indiguerint; praecipue cum

secundo, a prophetis, iisque exilio longe antiquioribus, scientia de rebus post mortem futuris adeo illustraretur, ut, quod jure affirmat Oehler, Magi potius ab Hebraeis, quam Hebraei a Magis didicisse videantur. Attamen etiam cavendum est, ne, quod alienigenarum doctrinas spectat, nimium Hebraeorum influxui tribuamus, cum

tertio, pagani quoque e communi illo fonte hauserint, qui, ut summi pretii haereditas, e domo Noachica ad omnes posteros defluxit.

b) Quamvis igitur multa sint momenta, in quibus gentium traditiones, a primitiva revelatione derivatae, cum Veteris Testa-

1) Scholz: „Die Keilschrift-Urkunden und die Genesis“, pag. 90.

2) Act. XVII, 32.

menti doctrina conveniunt, nihilominus maximae etiam dissimilitudines inter sacros Hebraeorum libros et paganorum opiniones intercedunt.

α) Gentilium enim plurimi claram spiritualitatis animae ideam sibi efformare non potuerunt, indeque in varios deducebantur errores. Indi praecipue, utpote fautores Pantheismi, singulas animas in vitam universi refundi putabant, ita, ut earum determinatio individua penitus cesset. Aegyptii, licet rectius ac Indi animam individualiter perdurare crediderint,¹⁾ nihilominus eam non faciunt sui juris, sed, etiam post mortem, corpori quodammodo subjectam et connexam esse arbitrabantur. Graeci similiter ac Romani animam, nisi corpore rite sepulto vel concremato, ad inferos non recipi docebant; dum e contra Vetus Testamentum animam post mortem ut a corpore prorsus independentem considerat.

β) Virtutes quoque ac merita, nec non crimina, a quibus animae post mortem fortuna dependet, omnino alia censentur in S. Scriptura et penes Judaeos, quam apud gentiles. Scimus sane, doctrinam moralem antiqui foederis, licet ad religionis Christianae celsitudinem non attingat, toto coelo tamen distare ab Ethica paganorum, et omnes infidelium ideas nobilitate ac severitate superare.

γ) Praeterea gentilium plerique metempsychosin fide tenuerunt. Ita Aegyptii putabant, impiorum animas per omnia bruta terrestria et aquatica migraturas esse, quam opinionem monumenta eorum hieroglyphica comprobant. Ab Aegyptiis haec doctrina pervenit ad Graecos, quorum celebres philosophi Pythagoras et Platon eam pariter tuebantur. Indi quoque, metempsychosin admittentes, aliter tamen ac Aegyptii de ea sentiebant, et Druidae apud Celtas, testante Julio Caesare,²⁾ animam post mortem in alia corpora humana transire autumabant.

Hanc quidem superstitionem et ab Hebraeis, saltem Pharisaeis, receptam fuisse suspicantur Godwin³⁾ et Calmet, recurrentes

1) Tertullian: „De anima“, cap. 33.

2) „De bello Gallico.“ VI, 14.

3) „Moses et Aaron.“ 1694, pag. 80.

ad Matth. XVI, 14, et Josephum Flavium „Antiqq.“ XVIII, 2. Contradicit tamen Oehler, cui et nos consentimus, cum Matth. XVI, 14, longe aliter interpretari debeat, nempe de prophetarum tempore Messiae futura resurrectione. Quidquid vero sit de opinione Pharisaeorum, hoc certe constat, doctrinam de metempsychosi nullo modo fundari in S. Scriptura, imo a Veteri Testamento alienum sacrisque libris contrariam esse. Loci enim, ad quos pro metempsychosi tuenda aliqui provocabant, sensum penitus alium continent, quod explicat Calmet in „Dissertatione de natura animae“, artic. VII.

Superest, ut summa capita doctrinae, quam e Veteri Testamento de animae immortalitate eruimus, breviter recenseamus.

Sunt quae sequuntur:

- a) anima humana est immortalis;
- b) anima post mortem descendet in **שׂוּל**;
- c) ibi, si justa a Deo inventa fuerit, tristis quidem et oppressa erit, ast aliquando e manu **שׂוּל** liberabitur;
- d) si injusta, poenam sine fine luet;
- e) bonum est, orare pro mortuis;
- f) aliquando corpus quoque resurget, animae iterum uniendum;
- g) relate ad gentilium opiniones, Vetus Testamentum, soli scilicet veritati insistens, pauciora quidem de altera vita docet, ac mythologiae paganorum, poeticis fabulis exornatae. Haec pauca tamen eo majoris sunt pretii et ad mortales in virtute corroborandos aptissima.

